est æqualis (per præcedentem:) reliqua igitur α λ, reliquæ β κ (per 3 cōmunem sententiam) est æqualis. Ostensum est autem, quod β γ ipsi β κ est æqualis, utraq; igitur & α λ & β γ, ipsi β κ est æqualis. Quæ autem eidem æqualia, (per primam cōmunem sententiam) & adinuicem sunt æqualia, & linea α λ igitur, ipsi β γ est æqualis. Ad datum igitur signum, α, datæ rectæ lineæ β γ æqua recta linea collocata est α λ, quod fecisse oportuit.

Eucli. ex Camp. Propositio 3

3 PRopositis duabus lineis inæqualibus, de longiori earum, breuiori æqualem abscindere.

CAMPANVS. Sint duæ lineæ a b & c d, & sit a b minor: uolo ex c d abscindere unam, quæ sit æqualis a b. Duco primo à puncto c, unam lineam æqualem a b, secundum quod docuit præcedens, quæ sit c e: posito ergo centro in puncto c, describam circulum secundum quantitatem c e, qui secabit lineam c d: sit ergo ut secet eam in puncto f, eritq; linea c f, æqualis lineæ c e, quia ambæ exeunt à centro eiusdem circuli ad circunferentiam, & quia utraque duarum linearū a b & c f est æqualis c e, ipsæ per 1 cōmunem animi conceptionem sunt inter se æquales, quod est propositum.



Eucli. Ex Zamb. Problema 3. Propositio 3.

3 Duabus datis rectis lineis inæqualibus, à maiore, minori æqualem rectam lineam abscindere.

THEON ex Zamberto. Sint datæ duæ rectæ lineæ inæquales, α β, γ, quarum maior sit α β: oportet ab ipsa α β maiore, ipsi γ minori æqualem rectam lineam abscindere. Ponatur (per secundam propositionē) ad signum α, lineæ (uero) rectæ γ, æqualis α δ, & centro quidem α, interuallo uero α δ, (per 3 postulatum) circulus describatur δ ε ζ. Et quoniam α signum, centrum est circuli δ ε ζ, æqualis est α ε ipsi α δ. At linea γ, ipsi α δ est æqualis: utraq; igitur & α ε, & γ, ipsi α δ est æqualis: quare & linea α ε, ipsi γ est æqualis. Duabus igitur datis rectis lineis inæqualibus α β, γ, ab ipsa α β maiore, ipsi γ minori æqualis abscisa est α ε, quod facere oportebat.

Eucli. ex Camp. Propositio 4.

4 OMnium duorum triangulorū quorum duo latera unius duobus lateribus alterius æqualia fuerint, duoq; anguli eorum illis æquis lateribus contenti æquales fuerint alter alteri, latera quoq; illorum reliqua sese respicientia æqualia, reliqui uero anguli unius reliquis angulis alterius æquales erunt, ac totus triangulus toti triangulo æqualis.

CAMPANVS. Sint duo trianguli a b c, d e f, sitq; latus a b, æquale lateri d e, & latus a c, æquale lateri d f, & angulus a, æqualis angulo d. Tunc dico, quod basis b c, est æqualis basi e f, & angulus b, æqualis angulo e. Item angulus c, æqualis angulo f, & totus triangulus a b c, toti triangulo d e f, quod probatur. Superponam triangulū a b c, triangulo d e f, ita quod angulus a, cadat super angulum d, & latus a b super latus d e, & latus a c super latus d f. Patet autem per penultimam conceptionē, quod nec anguli, nec latera sese excedent, eo quod angulus a, est æqualis angulo d, & latera superposita: ijs, quibus superponūtur, per hypothesin: puncta ergo b c, cadent super puncta e f. Si ergo linea b c, cadit super lineam e f, patet propositum, quia cum linea b c superposita lineæ e f, non excedat eam nec excedatur ab ea, est ei æqualis per conuersionem penultimæ cōceptionis. Eadem ratione erit angulus b, æqualis angulo e, & angulus c æqualis angulo f. Si autem linea b c non cadit super lineam e f, sed cadit intra triangulum sicut linea e g f, aut extra sicut linea e h f, tunc duæ lineæ recte concludunt superficiem, quod est contra ultimam petitionem.



Euclidis